



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-262839-p0001-1

DFG



16

Q. D. B. V. G. 20. num. 53.

16.

DISSERTATIO JURIDICA
DE

OBLIGATIONE
DEBITORIS SOLUTIONEM
PROMITTENTIS
IN MONETA TEMPORE SOLUTIONIS
RECEPTA,
PRÆPRIMIS SUBORTA MUTATIONE MONETÆ.

QVAM

ANNUENTE AMPLISSIMA FACULTATE JURIDICA

PRAESIDE

CHRIST. NIC. SCHLICHTKRULL

J. U. D. ET. FACULT. JURID. ADJUNCT.

DIE MART. CIO CCCLXVI,

MODESTO DISSIDENTIUM EXAMINI

SUBMITTIT

BENJAMIN WENDT

GRYPH. POM. LL. CULTOR.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS A. F. RÖS
REG. ACAD. TYPOGR.



D I S S E R T A T I O N E
D E

O B L I G A T I O N E
D E B T O R I S S O L U C I O N E M
P R O M I T T E N T I S

IN M O N T Y T E M P O R E S O L U C I O N E S

P R A Y E R I A M O N T Y T A S O L U C I O N E M
C H R I S T I O N O G H O D A P P L

C H R I S T I O N O G H O D A P P L

И М А Х О М И Т И Ч И Й И С Г О С Т В О М

А Т С И Ч В И М А И З

И П О Д А Р К И Т А С

С О В Е Т О В А И Ч У В

С О В Е Т О В А И Ч У В

P A T R I B U S
REPUBLICÆ GRYPHICÆ CONSCRIPTIS

VIRIS
GENTIS SPLENDORE, MUNERUM
AMPLITUDINE

MAXIME CONSPICUIS, CONSULENDI SAPIENTIA
PARITER AC ADMINISTRANDI PRUDENTIA
SUSCIPENDIS, PIE COLENDIS

DN. CONSILIARIO PROVINCIALI

DNN. CONSULIBUS

DN. SYNDICO

DNN. CAMERARIIS

DNN. SENATORIBUS

PIETATI
MÆCENATIBUS
PATRONIS ATQVE FAUTORIBUS,
GENEROSSIMO, AMPLISSIMIS, HONORATISSIMIS
AD CINERES USQVE DEVENERANDIS
PIETATIS HOCCE SPECIMEN, OMNI QVA DECET
REVERENTIA,
GRATAQVE BENEFICIORUM SIBI COLLATORUM
MEMORIA DEDICARE VOLUIT DEBUUIT
TANTORUM NOMINUM

Cultor observantissimus
B. WENDT.



PRÆFATIO.

Inter Clauses, quæ haud raro Contractui Muttui adjici solent & quibus præter meritum insignis efficacia tribuitur, quæque incerti sane significatus censentur & dubiam interpretationem admittunt, ea referri meretur, in qua Debitor promisit, se soluturum in moneta, tempore solutionis recepta: Er wolle in jederzeitige: oder zur Zahlungszeit coursirende: oder zur Zeit des Abtrags gang und gebe Münze bezahlen. Hanc Clauseslam, docente moderna praxi, mutato insigniter monetæ valore intrinseco, Debitor aliter, ac Creditor interpretatur, prout alterius interesse, a se invicem maxime diversum, id exigit. Autō nimirum valore monetarum intrinseco Creditor indigitatam Clauseslam in sui favorem & odium Debitoris trahere cupit: Eo autem decrescente, Debitor eandem

A in



in sui commodum & Creditoris detrimentum arripere non ambigit. Regulæ interpretationis incertis sane niterentur principiis, si interesse unius, vel alterius Contrahentis accommodandæ essent. Hoc igitur pro fundamento interpretandi nequaquam assumi poterit, sed ita potius præfata Clausula explicanda erit, ut intentioni Contrahentium probabili, analogiæ Juris, & principiis æquitatis congruat, quo æquale jus & Debitori & Creditori tribuatur. Periculum itaque faciam secundum hanc normam indigitatam Clausulam explicare, certissime confidens, Tibi, B. L. hoc tentamen non fore ingratum, cum thema propositum usu practico haut deltitutum erit, simulque de Tua humanitate mihi persuasum habeo: me veniam impetraturum, si forsitan præsens argumentum pro dignitate non elaboratum reperies, aut in Dissertatione frustra quæres, quod tuo desiderio & eruditioni satisficeret. Hac spe fretus, ipsam thematis pertractationem aggredior.

§. I.

De interpre-
tatione Con-
tractuum in
genero.

Pacta & Contractus non solum ex verbis, quibus usi sunt contrahentes, sed ex eorum etiam intentione, in qua omnis vis obligatoria pactorum sita est, interpretationem recipiunt; præprimis eo casu, quo verba Contractus ambigua apparent. Id autem intentioni Contrahentium inefic censetur, quod naturæ & indoli Contractus congruit, a qua in casu dubio & ancipiti recedere non licet Interpretibus. Hinc sponte sequitur, ut verba Contractus ambigua ex genio & natura contractus interpretanda sint. Auctoritate hujus regulæ hermeneuticae obligatio Debitoris promittentis in jederzeitige, oder zur Zahlungszeit coursirender Münze zu bezahlen, dubius

dubius & ambiguus verbis concepta, non tantum ex grammatical verborum interpretatione definienda, sed potius ex natura Contractus eruenda erit. Quo igitur constet, quam interpretationem ex natura Contractus, præsertim mutui, hæc verba admittunt, paucis & quantum ad præsentem, quem intendo, finem conducit, naturam Contractus mutui delineabo.

§. II.

MUTUUM est Contractus realis, quo res fungibilis ita traditur, ut accipiens in eodem genere eam restituat. Dans dicitur ^{Contr. mutui} CREDITOR & accipiens DEBITOR.

Schol. In hac Definitione nullam inter pactum & contractum agnosco differentiam, alias Jure Rom. flabilitam, quippeque nec principiis rationis convenit WOLFFII Institut. Jur. Natur. Et Gent. P. 2. cap. XI. §. 514, nec unquam inter Germanos recepta fuit; ideoque mihi perinde erit: An mutuum per contractum aut pactum definire malis. Sublato autem hoc discrimine per se intellectu facile erit, quod per contractum realem eum indigitemus, qui rei traditione consummatur & in quo Debitoris obligatio ex re esurgit, licet Jure Rom. prædicatum contractus realis alia plane ex ratione mutuo trahatur.

§. III.

Objectum Contractus Mutui est res Fungibilis (pr. Cujus objectum est res fungibilis. Def.) Res corporales, quæ utendo statim consumuntur, FUNGIBLES prædicantur. Diverso autem modo res fungibles utendo consumuntur pro diversitate qualitatis & naturæ in iis conspicua. Nonnullæ ex statu actualitatis in statum possibilis rediguntur: Aliæ autem in statu actualitatis quidem manent, at utendo ita distrahuntur, ut ad statum priorem non nisi per accidens reduci queant. Illæ NATURALITER, hæ CIVILITER consumuntur. Pecunia numerata inutilis esset thesaurus, nisi salvo actualitatis statu, utendo distrahere-

A 2 tur.



tur. Hæcce pecunia distributio, in quantitate considerata, ita fit, ut vix, & nisi per accidens, ad eandem speciem & priorem quantitatatem reduci queat, ideoque pecunia numerata propitio jure inter res fungibles refertur, quæ civiliter consumuntur, & hinc consequens est, ut pecunia numerata objectum mutui constituere possit.

Schol. Res fungibles certam & determinatam quantitatem recipiunt & ob eandem plerunque in commercio ita veniunt, ut ad pondus, numerum & mensuram referri soleant, quam ob causam cum lege etiam definiri queunt: Quod sint res, quæ numero, pondere & mensura constant: Pr. Inst. Quib. mod. re contr. Obliga. L. 2. §. 1. ff. de Rebus cred.

§. IV.

De qua domi-
nium trans-
fertur in De-
bitorem.

Res fungibilis, quæ mutuum ingreditur, mediante traditione a Creditore transfertur in Debitorum (pr. Def.) Traditio, de qua nobis fermo est, non tantum consistit in translatione possessionis, sed etiam dominii, cum ei titulus, ad transferendum dominium habilis præcedat, & traditio naturam tituli sequatur. Est enim titulus pro mutuo dominii translatus, quia Creditor, concedens Debitori usum rei fungibilis, in re ipsa dominium suum conservare nequit (§. III.) quod in re radicatum, abusu rei extinguitur. Hinc ipsa natura negotii efflagitat, ut penes Creditorem sit animus transferendi, & penes Debitorum intentione sibi habendi, vel acquirendi Dominium.

§. V.

Restituenda
in eodem ge-
nitore imponit,
in eo consistit:

Secundum
tempus con-
tractus.

Obligatio, quam ipsa essentia Contractus mutui Debitorum in eodem generi, id est, in eadem quantitate & qualitate restituantur. RESTITUERE nimur significat, negotium ad statum pristinum reducere, vel efficere, ut negotium eo definit, a quo incipit. Per se igitur patet, in restituendis causis initium negotiorum & contractuum esse respiciendum, indeque determinandum, quomodo res sit restituenda. Ex applicatione

tione hujus principii ad Contractum mutui ultro sequitur; ut in eo initium, vel tempus initi contractus respici debat, quando obligatio Debitoris restituendi rem fungibilem, mutuam a Creditore acceptam, definienda sit. Quum autem Contractus mutui hujus indolis est, ut Debitor rem eandem, vel ex more inter ICtos recepto loquendi, rem in specie restituere nequeat (§. III.) ei permittenda est **SUBSTITUTIO**, vi cuius in locum rei accepta alia ejusdem quantitatis & qualitatis surrogatur, per quam causa mutui ad statum priorem reducitur, nec Debitori, nec Creditori damnum infertur. Res enim fungibilis mutua non recipit pretium affectionis THOMAS. *De Pret. effect. in res fung. non cad.* ideoque nil amplius in obligatione reputatur, quam ut Debitor rem ita restitutus, ut idem pretium verum in eandem cadat, quod in re accepta fuit. Creditori igitur perinde est: an res in specie, aut alia in eodem genere ei restituatur. In utroque casu rem ejusdem quantitatis & qualitatis & idem verum rei pretium, quod in Debitorum transfluit, recipit, hinc ab utraque parte ex tali substitutione nullum metuendum est damnum, quod tantum oritur, si Creditor minus reciperet, quam Debitori subministravit: aut Debitor plus restitueret, quam a Creditore suo accepit.

§. VI.

Quod in antecedenti §pho de obligatione Debitoris Pecunia ^{tua in eodem} restituendi rem mutuam generaliter evictum, valet etiam in specie de restitutione pecuniae mutuae. Tempore enim ^{genere restituenda est.} solutionis eodem monete genere adhuc extante, quod initi contractus extitit & in quo debitum fuit descriptum, nec superioris jussu reprobato, extra omnem dubitationis aleam posita reputatur obligatio Debitoris in eodem monetæ genere solutionem prestandi, in quo pecuniam mutuam accepit. At enim vero monetæ genere, quod mutuum constituit, tempore solutionis vel plane deficiente, ^{Exceptiones} a regula. vel admodum difficile comparatu, vel ab Imperante re-

A 3

repro-

probato, Debitor in duobus casibus prioribus ab obliga-
tione solutionem in eodem monetæ genere præstandi, in
quo mutuum contractum erat, liberatur L. 14. §. ult. ff de
Legat. L. 23. Et 91. §. ult. de V. O. GEIL. Lib. 2. Obs. 73. no. 8.
CARPZ. P. 2. Conf. 28. Def. 3. no. 6. Et 8. COTHMAN. Vol. I.
Conf. 34. no. 44. Et 45. ultimo autem existente casu, Cred-
itor adigendus non est, in moneta reprobata & extra
usum communem posita solutionem ratam habere BOER.
Dec. 327. no. 17. CARPZ. P. 2. Conf. 28. Def. 3. no. 3. In his
tribus igitur casibus aliud monetæ genus, quam in quo
debitum contractum, est substituendum.

§. VII.

Restitutio fit
secundum
tempus Con-
trar.

Etiam muta-
to valore mo-
netæ intrin-
feco.


In hac substitutione eo allaborandum est, ut neutro
inde esurgat damnum, nec Creditor plus, aut minus re-
cipiat, quam mutuo dedit, nec Debitor plus, aut mi-
nus restituat, quam accepit, alias plus aut minus, quam
in obligatione deductum erat, præstat, & alter cum detri-
mento alterius iniquum caperet lucrum (§. V.) quod leges
naturales, æque ac civiles damnant. Ad evitandam hanc
iniquitatem valor monetæ mutuae intrinsenus, cum valore
idem intrinseco nummorum exsolvendorum comparan-
dus, & equiparandus est, (§. V.) ex qua comparatione
confestim apparet, quænam inter diversa monetarum ge-
nera reperiatur proportio, secundum quam solutio dein-
ceps præstanda. Duo autem præprimitis hic considerandi
sunt casus. Vel enim valor monetæ intrinsenus tempore
solutionis decrevit, vel auctus est. Priori casu per quanti-
tatem supplendum est, quod minus reperitur in qualita-
te, vel intrinseco monetæ valore exsolvendæ, quam erat
constitutum in intrinseco valore monetæ mutuae, quo
supplemento, quod dicitur die Algo, das Aufgeld, effici-
tur, ut inter qualitatem monetæ solute & mutuae nulla
inveniatur disparitas. Posteriori casu de quantitate debita
tantum detrahendum est, quantum plus est in qualitate
monetæ solvendæ, quam mutuae: Et licet in quantitate,

in

7

in se spectata, minus solvatur, quam Debitor mutuum accepit, in data tamen & soluta moneta eadem extat quantitas proportionate reducta ad qualitatem.

Schol. A regula in §pho tradita, *Illiſtr. Reg. Regimen & Illiſtr. Status Provinciales* in condenda *Lege Provinciali* de 1762. d. 25 Jul. vulgo dicta das *Agio-Reglement* & conficienda *Tabella Evaluationis*, d. 25 Febr. præf. ai publicata, in favorem Creditorum ex rationibus, iustitia & sapientia plenis, quodammodo recesserunt, dum jusserint, fortis solutionem secundum proportionatum valorem monetarum extrinsecum, quem determinat der Hamburger Banco Cours, præstandam esse; ideoque in allegata *Lege de Dato* 25 Jul. 1762. §. 7 dispositum legimus: die Capitalia sollen entweder in der angeliehen Münze bezahlet werden, oder fals die Bezahlung im leichten Gelde geschähe, soll dem Creditori deshalb in Ansehung des Unterschiedes der Münze alle rechtliche Vergütung wiederauffahren, so nach *Proportion des Hamburger Banco Courses* zur Zeit der Anleihe, gegen den *Cours* zur Zeit der Bezahlung zu bestimmen ist: Ad hanc normam, quam *J.R. Regimen & J. Status Provinciales* sibi semel scriperunt, etiam composita est *Tabella Evaluationis*, adhibito tamen hocce æquitatis temperamento, ut in definienda proportione diversarum monetarum non supremus, sed sere medius valor externus, quem exhibet der Hamburger Banco Cours, pro fundamento adsumitus sit. Rationes primariae autem, quæ Legislatori commoverunt, Cursum mercantilem Hamburgensem pro regulativo adsumere, sine dubio, præter alias, fuerunt sequentes: Difficile enim est inter diversas nummorum species earum valorem intrinsecum eruere & legitimo modo probare: Aequum porro censetur ad valorem externum monetarum fortis solutionem adaptare, quia pretia rerum, quæ ex Hamburgio ad nos transvehuntur, plus aucta sunt, quam valor intrinsecus monetarum decrevit. Per hanc solutionem demum damnum, quod Creditor ex solutione usuratum durante bello perpeſsum, iterum resarcitur; quibus rationibus
denique



denique accedit: Quod Debitor monetam levioris ponderis meliori modo in suos usus & utilitatem convertere potuit, quam Creditor valet, cui solutio in pecunia, ad ligam Lipsiensem excusa, præstatur.

S. VIII.

*Vel extrin-
feco.*

Contingit nonnunquam, valorem extrinsecum monetarum, salvo intrinseco, mutari, dum Imperans majus, vel minus pretium in numimos statuat, quam antea iis erat impositum. Hoc eveniente casu Debitor similiter ad tempus contractus oculos intendere debet (§. V.) & hinc valor extrinsecus, qui tunc temporis nummis impositus erat, unice in computum venit. Extrinseco ergo adaugto valore incrementum accrescit Creditori, eo autem diminuto, decrementum est peches eundem, & ita in utroque casu æqualitas servatur, nec in quantitate & qualitate plus, aut minus redditur, quam originitus in obligatione deductum fuit.

Schol. Regulam generalem a nobis §. V. traditam sub hac limitatione; existente universali monetarum mutatione, LEYSER Spec. 529. Med. 15. veram judicat, non autem si forsitan unum, vel alterum monetæ genus reprobatum, vel infra antiquum valorem positum fuit, quo casu tempus solutionis adtendendum esse existimat Med. 17. & 18. Videtur quidem hæc sententia a nostra plane esse aliena: At si modo subjunctione a LEYSERO responsum JCtor. Helmstadiensem intueris, compertum habebis, nos cum eo convenire & LEYSERUM non satis perspicue mentem suam explicasse. Nam & ex nostra sententia Creditor compellendus non est, in moneta reprobata solutionem accipere (§. VI.) ideoque in alia monetæ specie, quæ tempore contractus æque ac solutionis in commercio adhibetur, præstanta est solutio, secundum tamen proportionem, quæ tempore initi contractus inter diversas nummorum species, quarum altera tempore solutionis reprobata vel diminuta est, obtinuit.


§. IX.

§. IX.

Ratio valoris extrinseci, qui tempore contractus fuit, vel quo au-
habenda etiam est eo casu, quo Debitor loco acceptæ mo-
rum pro ar-
netæ, non amplius existentis, volente ita Creditore, aliam
substituere cupit ex materia plane diversa conflatam e. g.
auram pro argentea. Diversitas materiæ, in monetis au-
reis & argenteis conspicua, non sinit, ut intuitu' valoris
intrinseci erga se invicem comparentur. Auro autem &
argento valor impositus est extrinsecus, qui horum pre-
tium erga se invicem determinat, ideoque ad hunc in
definienda proportione, quæ aurum & argentum interce-
dit, respectus est habendus, & secundum eam proporcio-
nem tempore initi contractus inter utrumque receptam, a
Debitore solutio praestanda est. Fingas modo Debito-
rem & Creditorem in principio contractus inter se conve-
nisse: auream monetam pro argentea restituendam esse;
nonne contrahentes eam proportionem ratam habuissent,
quæ tempore contractus inter aurum & argentum ob-
tinuit? Cui igitur mirum videbitur, si inter utrumque ea-
dem proportio tempore solutionis attendatur, quæ tem-
pore contractus invaluit: Nonne contractus mutui eo
modo tunc definit, quo incepisset?

§. X.

Supereft ut denique perscrutemur: An etiam in reli- In Contr. bi-
quis contractibus, in quibus pecunia ob rem, vel con- later. eadem
cessum rei usum datur, e. g. in emtione venditione, lo- regula gene-
catione conductione &c. respiciendum sit initium contra- ralis, quæ in
ctus, introducto forsitan tempore solutionis alio moneta bus, servanda
genere, quam quod tempore contractus receptum erat. et.
Ex sententia BOEHMERI in *Introd. in Jus Digest. Lib. 46.*
Tit. 3. §. 9. distinguendum eset inter hos contractus &
mutuum, cui adjungit conditionem indebiti. In hoc
contractu mutui & conditione indebiti nostram regulam,
§. V. stabilitam, admittit, in reliquis autem eam evertit,
statuens, in determinando genere monetæ tempus solu-
tionis



tionis spectandum esse, quam opinionem L. 24. §. 1. ff de
Pignor. Ad. & L. 99. ff. de Solut. & Liber. confirmare anni-
 titur. In his autem legibus, disponentibus Creditorem
 non esse obligatum, in reprobata moneta solutionem ac-
 ceptam ferre, sententia BOEHMERI nullum presidium in-
 veniet, nec ambigo, p̄eunte LEYSERO Spec. 529. Med. 16.
 generaliter afferere, in reliquis contractibus, æque ac
 contractu mutui & conditione indebiti, vel promutuo,
 attendendum esse tempus contractus. Nulla enim inter
 mutuum & reliquos contractus appareat ratio diversitatis,
 nec mutatio monetæ obligationem Debitoris originariam,
 quam tempus contractus prædicat, mutare valet. Hæc
 monetæ mutatio præter voluntatem contrahentium even-
 nit, & pretium, quod pro re, vel ejus usu dandum, de-
 terminatur secundum tempus, quo inierunt contractum,
 ad mutationes monetarum autem, futuro tempore con-
 tingentes, respicere non potuerunt contrahentes, ideo-
 que ab eorum intentione alienum fuit, id monetæ genus
 acceptum habere, & in obligationem deducere, quod
 tempore solutionis fortasse introducendum erit. Insigni-
 ter etiam æquitas, quæ non permittit, ut alter cum dam-
 no alterius lucrum capiat, offenderetur, si in prædictis
 contractibus tempus contractus quantitatem & terminus
 solutionis qualitatem moneta determinaret. Ex inæquali
 enim proportione pretii dandi & veri, quod rei, vel ejus
 usui ineſt, una, aut altera pars contrahentium inevitabile
 sentiret damnum. Quis autem, refragante lege, huic
 iniuitati indulgere poterit? præprimis in contractibus,
 in quibus par esse debet conditio contrahentium, quo-
 que non doceatur contraria legis dispositio, quæ, quan-
 tum ego scio, in substrato casu nullibi extat. Jubent po-
 tius leges, in dijudicanda læsione, ex quovis contractu
 orta, tempus initi contractus attendere L. 8. in f. C.
 de rest. vend. HILLIG. AD DON. Lib. 21. cap. 9. lit. A. quod fa-
 tis superque docet, leges nolle, ut eventus, dein existens,
 ingrediatur naturam contractus & obligationem contra-
 hentium,

◎ ◎ ◎

hentium; indeque argumentari licet; in quo cuncte contractu, etiam in iis, in quibus pecunia pro re, ejusve usū datur, tempus contractus definire obligationem Debitoris, quo genere monetæ & qua proportione solutio præstanda sit, existente forsitan tempore solutionis alio monetæ genere, quam contractus.

Schol. De pecunia, ex ultimis voluntatibus debita, tralatiti juris est: Quod tempus conditi testamenti, nequaquam autem tempus mortis testatoris, aut aditæ hereditatis, aut solutionis, determinet qualitatem monetæ, in qua solutio præstanda.

§. XI.

His prelibatis, thema nostrum proprius considerandum erit. In antecedentibus asservi (§. I.) verba Debitoris in promittentis in jederzeitiger, oder zur Zahlungszeit coursifrender Münze die Schuld abzutragen, esse ambigua & diversis interpretationibus obnoxia, cuius asserti veritas ante omnia a me probanda erit. Videtur, hæc clausula in favorem Debitoris contractui mutui esse adjecta, quo virtute ejus eximatur ab obligatione præstandi solutionem in eo genere monetæ, in quo debitum contractum, eique concedatur facultas aliud substituendi, quod tempore solutionis introductum fuit. Similiter Creditor in sui favorem interpretabitur hanc Clauſulam, contradicente licet Debitori, si ei solutio proficia videtur in eo monetæ genere, quod tempore dissolvendi contractus usu frequenteratur: Tunc enim contendere non dubitabit, solutionem in moneta mutua, adhuc existente, nec reprobata, ei non esse obtrudendam. Ut plurimum autem huic Clauſule hic sensus tribuitur: Quod, mutato quo cuncte modo valore monetæ, solutio tantum præstanda sit in eadem quantitate, quam loquitur contractus, superhabito omni respectu qualitatis monetarum earumque diversitatis, quam interpretationem tueri cupit. KITZEL in Tr. de mu-

tuo Cap. 6.. Ex mea vero sententia, indigitata Clausula ita explicanda est, ut Debitori permittatur substitutio alias generis monetæ, quam in quo debitum descriptum fuit, eique concedatur proportionata solutio debiti; quæ interpretatio, uti ego opinor, naturæ contractus, analogiæ Juris & æquitati convenit, nec a verbis eorumque significatu proprio recedit, quam ob rem reliquis præferenda.

§. XII.

Examen harum interpretationum.

Qui has diversas interpretationes sub examen vocavit & paululum curatus examinabit, statim sentiet, duas priores ita comparatas esse, ut promissione Debitoris nullus singularis effectus tribui queat, nec ex ea novum jus, aut obligatio oriatur inter Contrahentes. Vel enim tempore solutionis pecunia mutua extra commercium posita est, vel usu adhuc frequentatur. Priori casu Debitor legis vigore jam consequitus est jus aliud monetæ genus, pro accepto, substituendi, nec Creditor obligatur in moneta contractus, solutionem debiti ratam habere (§. VI.). Posteriori autem casu Debitor tam ex legis dispositione, quam ex sua promissione obstrictus est, in moneta contractus solutionem præstare & Creditor adigendus est, in eadem moneta solutionem habere acceptam. Quænam ergo singularis efficacia inest indigitatæ Clausulæ, si eam de nuda monetæ substitutione interpretari velles? Sane nulla; ideoque eam inter abundantes mecum collocabis.

§. XIII.

Rejicitur ea, quæ Debitorum ad uniformem quantitatis solutionem obligat, non attenta qualitatis monetarum diversitate.

Admodum eximus & sane exorbitans effectus inesset prædictæ Clausulæ, si ex ea Debitor in se reciperet obligationem, eandem semper quantitatem, quam contractus prædicat, nullo habito respectu ad mutationes & vicissitudines valoris intrinseci monetarum, Creditori soluere. A me autem impetrare nequeo, quo huic sententiae subscriberem, quæ analogiæ Juris refragatur & iniquitatis labe

◎ ◎ ◎

labe commaculata est, quod ex sequentibus rationibus apparet luculentius.

Ex ipsis verbis, quibus circumscripta est Debitoris Verba, quibus Clauſula promissio, si eorum cortici inhæreamus, non evinci poterit, Debitorem se obligasse, non attenta diversitate qualitatibus monetarum, in quantitate absoluta præstare solutionem non inveniunt. Nem Verba neque qualitatem, neque quantitatem pecunie solvenda expresse determinant, sed, in generalitate considerata, Debitori tantum obligationem imponunt, in eo monetæ genere præstandi solutionem, quod tunc temporis introductum erit, cui obligatiōni, quoad tenorem verborum, satisfacit, præstita a Debitore solutione in quantitate proportionata, quæ inter monetam contractus & exsolvendam reperitur.

§. XIV.

Cum igitur indigitata Clauſula & ipsa verborum formula, qua Debitor usus est, eum non stringat in quantitate absoluta, seposito omni respectu ad valorem monetæ intrinsecum hujusve mutationem, debitum solvere (§. XIII.) & quum hæcce Clauſula ambiguis verbis concepta est (§. XI.) quæ ita interpretanda sunt, ut naturæ & genio contractus convenient (§. I.) quo nil statutur, quod oeconomia juris repugnat, & quum denique omnium Contractuum natura in eo conspirant, quod, mutato valore monetarum, in determinanda quantitate pecunie solvenda attendendum sit initium Contractus, quo pecunia debita in eadem qualitate & proportionata quantitate restituatur (§. VII. VIII. & X.) ex his consequens erit: Promissionem Debitoris in jederzeitige, oder zur Zahlungszeit coursirende Münze zu bezahlen, ex natura Contractuum & secundum analogiam Juris ita interpretandam esse: Debitorem vi hujus promissionis se obstrictum reddidisse, solutionem in moneta, tempore solutionis recepta, præstare, ita ut ratio habeatur temporis contractus & mutationis monetarum, quo Creditor nec plus, aut minus recipiat,

piat, quam dedit, nec Debitor plus, aut minus restituat, quam in obligatione fuit deductum. Dubito autem, quin hæc interpretatio omnibus arrideat. Nonnulli fortasse obmovebunt, indigitatam Clafulam ex nostra interpretatione nil novi continere, nec singularem effectum promittere, sed promissionem Debitoris, hac Clafula inclusam, eandem tantum involuere obligationem, quam sine hac promissione lex iam imposuit Debitori (§. XII.). Verum enim vero hoc dubium nos nequaquam ferit, dum animus nobis est, ad oculos ponere, promissioni Debitoris in moneta, tempore solutionis usitata, solutionem præstare, singularem non inesse vim & efficaciam præter eam, quæ congruit naturæ Contractus & analogiæ Juris.

§. XV.

Principiis æquitatis. Interpretatio prædictæ Clafulæ, quam meam feci, principiis æquitatis subnixa est, contraria vero iniquitate laborat. Naturalis æquitas prohibet: ne quis cum damno alterius locupletior fiat, aut iniquum lucrum capiat. Huic principio Juri naturalis, a Jure Civili approbat, contrariaretur, si ex solutione debiti Creditor, aut Debitor damnum sentiret & alter eorum inde locupletaretur, quod tamen accideret, si, absque ullo respectu ad diversam qualitatem monetarum, solutio in quantitate absoluta præstaretur, qua Creditor, aucto valore intrinseco monetæ, plus cum damno Debitoris consequeretur, quam mutuo dedit, aut Debitor, decrescente valore monetæ intrinseco, minus cum damno Creditoris restitueret, quam accepit, quæ tamen iniquitas evitatur, præsita solutione in eadem qualitate & reductiva ad eam quantitate: Nullum tunc ex utraque parte metuendum est damnum, nec iniquum lucrum sperandum (§. VII.)

§. XVI.

§. V XVI.

Iniquitas, ex solutione debiti in quantitate absoluta metuenda, nonnunquam tanta est, ut inde esurgat laesio enormis, vel ultra dimidium, quando nimurum valor monetarum intrinsecus ita decrevit, ut nummi nequidem ad dimidium prioris bonitatis excudantur, quod propriam tempore belli, quo leges silent, contingit, quodque infortunium in bello novissimo experti fumus. Existente tali casu ipsum Jus Civile jam Creditori succurrit, non obstante pacto, se solutionem accepturum in moneta eo tempore recepta. In substrato casu, salva nostra sententia, concedere possumus, huic pacto inesse vim, quam dissentientes ei tribuere cupiunt, nihilominus tamen auctoritate L. 2. de C. de rescind. vend. Creditor ab obligacione, solutionem in quantitate absoluta ratam habendi, se liberare posset, cum vigore hujus Legis, uti inter omnes constat, obligatio alias perfecta & valida, rescisso Contractu, iterum tolli potest. Ad eandem Legem tuto & felici successu provocare etiam poterit Debitor valore intrinseco monetarum ita adacto, ut ex solutione debiti in quantitate absoluta lesionem enormem sentiret, quod evenit, si qualitas monetæ mutuae haut attingat dimidium valorem monetæ exsolvendæ. Confugint autem non solum Debitor & Creditor, qui contractum mutui inierunt, ad hanc Legem, sed in eadem etiam alii, qui sub praefata Claufula contraxerunt e. g. Emotor & Venditor, Locator & Conductor &c. dum quicunque Contractus, in quo Contrahentes ad mutuas prestationes se obligaverunt, ope hujus legis rescindi queat, quæ rescissio in hisce Contractibus bilateralibus, ex intentione Juris Romanorum, eo facilius obtineri poterit, quo magis leges jubent in his, tanquam Contractibus bone fidei, adtendere æquitatem naturalem, intentionem Contrahentium, nec non naturam Contractus, quæ in his generibus Contractuum verbis prævalet.

§. XVII.



§. XVII.

Contra quam Neminem, qui modo primis Juris principiis imbutus
tamen iis de- est, fugit, contrahentibus licere, juri, ex L. 2. C. de
neganda non refind. vend. iis quæsito, renunciare & hanc renunciatio-
nem validam esse, modo specificè facta sit a personis, quæ
est, fugit, contrahentibus licere, juri, ex L. 2. C. de
neganda non refind. vend. iis quæsito, renunciare & hanc renunciatio-
nem validam esse, modo specificè facta sit a personis, quæ
contr. mutui bona fide contraxerunt & civiliter se obligare queunt.
renunciassent STRYK. de Caus. Contr. Set. 2. Cap. 8. §. 29. Hæc regula
benificio ex autem, ut mihi videtur, in contractu mutui fallit, in quo
L. 2. C. de Debitor non solum sub indigitata Clausula solutionem sti-
pulatus est, sed insuper Legi allegatae renunciavit. Hæc
refind. vend. iis quæsito, renunciare & hanc renunciatio-
nem validam esse, modo specificè facta sit a personis, quæ
renunciatio implice continet casum; valorem monetæ
tempore solutionis fore auctum & Debitorem nihilominus
in quantitate absoluta debitum soluturum. In hac igitur
renunciatione Debitor virtualiter pollicetur: Se plus solu-
turum, quam a Creditore mutuum accepit. Omne au-
tem pactum inter Creditorem & Debitorem hujus tenoris,
qua forma, quove modo initum fit, usurariam pravita-
tem sapit; MEVIUS von Wucherlichen Contracten Cap. 5. §. V.
& VI. no. I. & a Legibus eatus, quatenus sub eo latitat
usuraria pravitas, nullum declaratur GEIL. Lib. 2. Obs. 4.
BERGERI Jurispr. crimi. Pag. 76. & damnatur, pœnisque
coercetur, nec accedente Juramento convalescit. Hoc
si perpendis, concedes, promissionem Debitoris in mo-
netâ, tempore solutionis recepta, præstare solutionem &
renunciationem juratam L. 2. C. de refind. vend. ei non ob-
stare, quominus ob lassionem ultra dimidium ad legem
renunciatam provocare posset. Idem utique obtinet in
aliis Contractibus bilateralibus in Contractum mutui, vel
Chirographarium novando mutatis, qua novatione pristi-
nam naturam amiserunt, ut non amplius ex ea, sed ex
natura mutui dijudicentur: Nec dubitandum est, quin,
quod ultra debitum, ex errore facti solutum, conductio-
ne indebiti revocare liceat Debitori. In reliquis vero
Contractibus, in quibus pecunia pro re, vel ejus usu da-
tur, standum est renunciationi L. 2. C. de refind. vend. dum-
modo solutione in quantitate absoluta, firmiori, quam sub
indigi-



Indigitata Clausula promissa sit, e. g. Si Locator & Conductor ita contraxerunt, ut eadem quantitas mercedis semper solvatur, licet moneta gravioris, aut levioris ponderis in posterum introduceretur. Nam sub hoc pacto nulla delitescere usuraria pravitas, sed Contrahentes potius se casui fortuito submittunt, quem quisque, qui alias eum non sentiret, in se recipere potest L. I. §. 10. ff. *Commod. vel conf. L. 23. ff. de R. J.* Et nisi in his Contractibus, sub praedicta Clausula initis, renunciationi L. 2. C. de rest. vend. vim & efficaciam tribueremus, vel pactis perspicue conceptis, vel renunciationi allegatae Legis omnem vim negaremus, eamque Legem esse prohibitivam concederemus, quod utrumque falso & Juri contrarium esset.

§. XVIII.

Pactum inter Creditorem & Debitorum ea lege ini-
tum, ut in moneta, tempore solutionis recepta, praefte-
tur solutio, si interpretaretur de obligatione solvendi de-
bitum in quantitate absoluta, seposito omni respectu ad
valorem nummorum intrinsecum, contineret donatio-
nem. Creditor enim ex sua parte metuere debet casum
exiturum, quo tempore solutionis valor monete de-
crescat; & Debitor ex parte sua casum supponere debet,
tempore solutionis melius monetæ genus adfuturum, standam &
Præsupposito illo casu Creditor minus consequitur, quam accipendam,
mutuo dedit, hoc vero substrato, Debitor plus solvit,
quam accepit, ideoque in priori casu Creditor partem de-
biti suo Debitori remittit, posteriori autem Debitor Cre-
ditori suo donat, quod plus est in solutione, quam in
mutuo. At cum Donationes in casu dubio nunquam
præsumantur L. 25. ff. de Prob. CARPOV. Dec. 144. no. 12.
neutiquam credendum est: Creditorem & Debitorum sub
indigitata Clausula, verbis sat ambiguis concepta (§. XI.
& XII.) nullamque donationem indigitante, se ad solutio-
nem debiti in quantitate absoluta respective accipendam
& præstandam obligare voluisse.

C

§. XIX.



§. XIX.

Fraus & do-
lus.

Negandum tamen non est, Creditorem, cui sub præfata Clausula solutio stipulatur, forsitan sperasse, tempore solutionis melius monetæ genus, quam quod in Causam mutui deductum fuit, exiturum; & Debitem fibi persuasisse, eodem tempore monetam deterioris valoris introductam fore: & tunc utique concedendum est, ab intentione Contrahentium animum donandi plane alienum fuisse. Re autem ita considerata, Clausula indigitata dolo & fraude plena est & alter Contrahentium, alterum decipere machinatur, ideoque dolus, qui sub hac Clausula latitat, ei omnem vim obligatoriam adimit. Creditor insuper intentionem fovet, sub colore hujus Clausula usurariam pravitatem simulare, & Debitor spem alit, se cum damno Creditoris iniquum lucrum acquiſitum (§. XV.) quod utrumque tamen Legibus adversatur nec præsumitur.

§. XX.

Vel Contra-
hentes præ-
ter obligatio-
nem in se
ſuscipiſſe ca-
ſum forti-
tum.

Affumamus autem Creditorem & Debitem, neque animo donandi, neque decipiendi, sub prædicta Clausula celebrasse Contractum mutui, aut alium, in quo præstatio pecuniaria in obligationem deducta fuit, tunc nil amplus restat, quam ut statuamus, Contrahentes se submisſe casui fortuito. Quum autem non præsumatur in casu dubio & ancipiſſi, alterum Contrahentium præter obligationem se casui fortuito subjeciſſe, quippe qui ſpeciali pacto ſuscipiendus est ab eo, a quo alias ex natura negotii casus fortuitus nequaquam præſtandus L. 5. §. 10. ff. Commod. vel contr. L. 23. de R. J. quale pactum autem ex verborum formula, qua ſoepe memorata Clausula circumſcripta est, elici nequit; conſequens erit; præſumendum non eſſe, Debitem & Creditorem vi indigitate Clausulae casui fortuito, cui mutatio monetæ fine dubio annumeranda (§. X.), ſe submiſiſſe, nec in eorum intentione repeſſiri, ſolutionem pecuniae in quantitate abſoluta ratam habere.

§. XXI.

◎ ◎ ◎

§. XXI.

Debitor denique, qui instantे præprimis mutatione monete deterioris valoris in meliorem, a Creditore inductus fuit, solutionem debiti sub präfata Clausula pro-mittere, argumentum ex Lege Commiforia desumere & in sui utilitatem convertere potest. Eadem scilicet adeſt ratio, quare hoc casu promiffioni Debitoris non major vis tribuenda, quain Legi Commiforiae contractui pignoratitio adjecta. Debitor enim in hoc Contractu ex necessitate morali, qua constitutus est, compellitur, se huic Legi submittere & Creditor ex hac necessitate Debitoris lucrum capere intentionem fovet, nempe ut consequatur id, quod plus est in pignore, quam in mutuo. Quo autem leges non fa-verent astutiæ Creditorum iisque concederent lucrum cum damno miserabilium Debitorum, quorum favor in Jure sat eximius est, Legi Commiforiae, Contractui pignoratitio adjecta, omnem vim & validitatem denegaverunt. Ob identitatem rationis in substrato Casu similiter afferendum erit, quod quia Debitor ex necessitate morali coactus sit, se indigitatæ Clausulæ submittere, & Creditor intentionem alat, ex hac coacta promiffione lucrum quærere, eam esse invalidam & inefficacem, æque ut Lex Commiforia, Contractui Pignoratitio annexa, invalida judicatur.

§. XXII.

Ex adductis rationibus facile judicatu erit, pro Concluſio-missionem Debitoris, in moneta tempore solutionis re-cepta, debitum solvere, de solutione in quantitate ab-soluta prästanta, seposito respectu ad diversam qual-i-tatem monetæ acceptæ & exſolvendæ, non esse intelli-gendam, sed ita potius interpretandam, ut Debitori folventi permittatur substitutio aliis generis monetæ,



pro accepta, non amplius existente, vel reprobata, eo modo, ut ratio habeatur diversæ qualitatis monetarum, quo in substituta nec plus, aut minus solvatur, quam Debitor in mutua accepit. De indigitata autem Clauſula, hac ratione interpretata, quisque mecum judicabit, eam inter inutiles & abundantes Practicorum Clauſulas, quæ facile inanæ & sumptuosas lites fusciant, esse collocandam.

Faustus hic omnium glorioſissimusque dies illucet Tibi.
Illorum optatis respondes, quibus Te ſemper obſe-
quiosum Auditorem prebuiſti, ac quorum Vestigia ſedulo
premis; respondes Amicorum Spei, haud fruſtra ſperan-
tium, fore, ut Diligentiae ac Eruditionis documenta ex
Te carent; atque laborum Tuorum fructibus haud
immaturis delectarentur. Conficias igitur Opus inchoa-
tum laudeque dignum; pergas permulta doctrinae inge-
niique Tui Specimina oſtendere, ac in apri-
& nunquam non operam des, ut aliquando Sapientia con-
ſilioque multum poſſis, ut Vir fide magna evadas. Tan-
dem ſempiterne noſtre sanctæque Amicitiae non imme-
moris aliſdue & ex animo precamur.

Honoratissimo DOMINO B. WENDT

Amico integerrimo de hoc Eruditionis
Specimine egregio congratulan-
tur


J. C. A. HOEFER J. F. EISERHART
Gryph. Pom. S. S. Th. Cand. Boldec. Pom. S.S. Theol. Cult.

Goeipwald, Diss., 1762-63

ULB Halle
005 372 011

3





19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1	
centimetres																			
Blue																			
Cyan																			
Green																			
Yellow																			
Red																			
Magenta																			
White																			
3/Color																			
Black																			

Farbkarte #13



16

Q. D. B. V. 9. 20. num. 53. ~~16.~~

DISSERTATIO JURIDICA
DE
**OBLIGATIONE
DEBITORIS SOLUTIONEM
PROMITTENTIS
IN MONETA TEMPORE SOLUTIONIS
RECEPTA,
PRÆPRIMIS SUBORTA MUTATIONE MONETÆ.**

P. A. S.
ANNUENTE AMPLISSIMA FACULTATE JURIDICA
P R A E S I D E
CHRIST. NIC. SCHLICHTKRULL
J. U. D. ET. FACULT. JURID. ADJUNCT.

DIE MART. CIO 10CCLXVI.
MODESTO DISSIDENTIUM EXAMINI
SUBMITTIT
B E N J A M I N W E N D T
GRYPH. POM. LL. CULTOR.

GRYPHISWALDIAE
T Y P I S A. F. R Ö S
REG. ACAD. TYPOGR.

